



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 127. Quid, & quotuplex sit certitudo, & euidencia: & vtrum possint mutuò, vel non mutuò separari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

ter credibilem, & credendam, est per se ordinata ad hoc, vt credamus, & vt credentes, & secundum fidem viuentes, obtineamus salutem; ergo &c.

46. Confirmatur: nam cognitio procedens ex principijs, & causis à diuina prouidentia per se ordinatis ad cauendum in nobis effectum, non naturalem, sed supernaturalem, est supernaturalis; sed cognitio, qua cognoscimus nostram religionem esse prudenter credibilem, & credendam, causatur à diuinis reuelationibus, & miraculis ex fama nobis notis; reuelationes autem, & miracula à diuina prouidentia ordinata sunt ad hoc, vt per famam, causent in viatoribus cognitionem, non naturalem, sed supernaturalem de credibilitate, nostra religionis; ergo cognitio, qua cognoscimus euidenter, religionem nostram esse prudenter credibilem, & credendam, est supernaturalis. Et quia ad cognitionem supernaturalem eliciendam non sufficiunt vires nature, sed requiritur internum auxilium, gratiæ, & interna illuminatio Spiritus Sancti, ideo talis cognitio procedit ex interno auxilio gratiæ, & ex interna illuminatione Spiritus Sancti, quam propositis motiuis externis, Deus non denegat vlli viatori. In dæmonibus, ac damnatis cognitio, qua cognoscunt religionem nostram esse prudenter credibilem, & credendam, non est supernaturalis, quia non procedit ex auxilio gratiæ, sed solum ex naturali lumine intellectus, ideoque est prorsus inutilis ad salutem.

47. Potest tertio quæri, vtrum actus, quo cognoscimus religionem nostram esse prudenter credibilem, & credendam, procedat ab habitu fidei, vel ab alio habitu supernaturali?

Respondeo probabilius esse, quod non procedat ab habitu supernaturali fidei, sed ab alio habitu annexo ipsi fidei, & qui sit etiam supernaturalis, vt docet Suarius disp. 4. de Fide, sect. 6. Cardinalis de Lugo disp. 5. sect. 3. alijque apud ipsos, contra Caietanum, & quosdam alios. Ratio est, quia per habitum fidei theologice non possumus vlli obiecto assentiri, nisi propter summam veracitatem Dei reuelantis, eo pacto, quo per habitum charitatis non possumus quidquam velle, nisi propter summam bonitatem Dei; sed cognitio euidentis, qua iudicamus nostram religionem esse prudenter credibilem, & credendam, non habet pro obiecto formali summam veracitatem Dei reuelantis, alioquin cum reuelatio sit obscura, non esset euidentis, sed obscura; ergo &c.

48. Obijcitur S. Thomas 2.2. quæst. 1. art. 4. ad 3. dicens, quod lumen fidei facit videre ea, quæ creduntur, & art. 5. ad 1. dicens, medio lumine fidei videri obiecta nostræ religionis esse credenda.


Respondeo ea, quæ videntur per lumen, & habitum annexum fidei, dici posse, quod videntur per lumen fidei, eo pacto, quo quia

Aristoteles 6. Eth. c. 9. ponit tres habitus annexos prudentiæ, actus benè consultandi, qui actus procedunt ab habitu consultatio annexo prudentiæ, dicuntur procedere ab ipsa prudentia.

49. Ad 4. nego maiorem. Vt enim supra dictum est, & pluribus exemplis confirmatum, & infra ex professo explicabitur, multo plus requiritur ad probandum euidenter aliquid esse verum, quam ad probandum euidenter, aliquid esse prudenter credibile, & credendum; ergo non est mirum, quod argumenta probantia euidenter nostram religionem esse prudenter credibilem, & credendam, non probent euidenter nostram religionem esse veram. Vide quæ de hoc dicentur quæst. 128. in resp. ad 11. num. 28. & sequentibus.

TRACTATUS XIV.

De certitudine, obscuritate, & necessitate fidei.

I.  VIA fides est assensus certus, & obscurus rebus à Deo reuelatis, tanquam obiectis materialibus, propter summam Dei reuelantis veracitatem, tanquam propter obiectum formale, postquam egimus de obiecto materiali, & formali, ac de vltima resolutione fidei, sequitur, vt agamus de ipso actu fidei, & præsertim de eius certitudine, obscuritate, libertate, & necessitate.

QUÆSTIO CXXVII.

Quid, & quoruplex sit certitudo, & euidentia: & vtrum possint mutuo, vel non mutuo separari?

1. Videtur certitudo non posse dari sine euidentia: primò quia certitudo naturalis non potest esse sine euidentia, ideoque nullus actus naturalis potest esse certus, quin sit etiam euidentis; ergo etiam certitudo supernaturalis non potest esse sine euidentia, ac proinde neque actus supernaturalis potest esse certus, quin sit etiam euidentis.

2. Secundò effectus non potest esse sine sua causa, à qua necessariò pendet; sed certitudo est effectus necessariò pendens ab euidentia; nam ideo obiectis assentimur certò, quia videmus, hoc est euidenter cognoscimus, quod apparentiæ, quam de illis habemus, non potest subesse falsum; ergo &c.

3. Resp. quod quia non solum actus, sed etiam obiecta dicuntur, vel certa, & euidentia, vel incerta, & obscura, datur certitudo, & euidentia tum obiectiua, tum formalis. Certitudo

titudo obiectiua, qua nimirum obiecta dicuntur certa, est infallibilitas motiui exigentis, vt obiecto assentiamur firmissimè, & sine vlla dubitatione, ac formidine oppositi. Certitudo formalis, qua actus dicuntur certi, est firmitudo, qua obiecto assentimur sine vlla dubitatione, & formidine oppositi, propter infallibilitatem motiui. Euidencia obiectiua, est apparentia conuincens intellectum, itaut necessitetur, vel saltem independenter ab imperio voluntatis sufficienter trahatur ad assentiendum obiecto, firmissimè, & sine vlla dubitatione, & formidine. Euidencia formalis est, qua intellectus assentitur obiecto sine vlla dubitatione, & formidine, quia clarè apparet apparentia conuincente intellectum.

4. Certum est apud omnes, quod euidencia ita conuincit intellectum, vt non possit negare id, quod est euidens, ideoque necessitat quoad specificationem.

5. Queritur, vtrum euidencia necessitet ita, vt neque per imperiam voluntatis possimus suspendere assensum verò euidenti, adeoque necessitet etiam quoad exercitium. Ego quæst. 65. Logicæ cum S. Thoma, Scoto, aliisque communiter, dixi intellectum ab euidencia, necessitari etiam quoad exercitium. Sed hic in allata definitione euidenciae volui abstrahe- re ab hac quæstione.

6. Tum euidencia, tum certitudo diuiditur in metaphysicam, physicam, & moralem. Aliqui dicunt euidenciam metaphysicam esse, cui metaphysicè non potest subesse falsum, ita vt implicet contradictionem cum tali euidencia falsum coniungi: euidenciam physicam esse, cui licet metaphysicè possit subesse falsum, physicè non potest subesse, itaut licet non implicet contradictionem cum tali euidencia, coniungi falsum, tamen talis conjunctio repugnet naturaliter, & sine miraculo: euidenciam moralem esse, cui licet metaphysicè, & physicè possit subesse falsum, tamen moraliter non potest subesse, itaut licet neque implicet contradictionem, neque naturaliter repugnet, tamen sit moraliter impossibile cum tali euidencia, falsum coniungi. Explicatur exemplis. Est euidens metaphysicè omne totum esse maius sua parte: cuiuscunque trianguli, tres angulos esse æquales duobus rectoribus: dari primam causam incausatam &c. quia cum tali euidencia, implicat contradictionem coniungi falsum. At est euidens solum physicè, quod cras Sol oriatur, quod si quis mittatur in fornacem, ardentem, comburetur &c. quia licet cum tali euidencia metaphysicè possit coniungi falsum, siquidem non implicat contradictionem, vt cras Sol non oriatur, & vt aliquis missus in fornacem ardentem, non comburatur, tamen physicè, hoc est, naturaliter, & sine miraculo hæc fieri nequeunt. Demum est euidens solum moraliter, quod si quis centies iaciat talos lusorios sine vlla arte, non semper iaciet idem punctum, quia licet etiam sine miraculo posset hoc accidere, tamen est ita difficile,

vt moraliter euenire non possit.

7. Contra hanc doctrinam est, quia multa sunt solum moraliter, vel physicè euidencia, & tamen cum tali euidencia implicat contradictionem, vt coniungatur falsum; ergo &c. Probatur antecedens; nam iis, qui non videntur Hispaniam, Galliam, Constantinopolim &c. est solum moraliter euidens istas regiones existere, vel aliquando extrisse, & tamen implicat contradictionem, vt cum tali euidencia coniungatur falsitas; ergo &c. similiter multi solum physicè est euidens, quod nunc existit, & tamen implicat contradictionem, quod cum hac euidencia coniungatur falsum.

8. Dicendum igitur, quod euidencia metaphysica est, quæ fundatur in metaphysicè necessaria connexione prædicati cum subiecto, essentia, & naturæ cum passionibus, & proprietatibus, & vnus passionis cum alia. Ex. gr. est euidens metaphysicè, quod omne totum est maius sua parte, quia hæc euidencia fundatur in necessaria connexione prædicati cum subiecto: quod omne rationale est admiratum, quia hæc euidencia fundatur in necessaria connexionem rationalitatis, quæ est essentia, & natura hominis, cum admiratiuitate, quæ est eiusdem proprietates, & passio; quod omne admiratum est risibile, quia hæc euidencia fundatur in necessaria connexionem admiratiui, quod est passio, & proprietates hominis, cum risibilitate, quæ est altera passio, & proprietates eiusdem.

9. Euidencia physica est, quæ fundatur in cognitione experimentalis, vel in naturali connexionem causæ physicæ cum effectu, aut effectus cum causa. Ex. gr. mihi physicè euidens est, quod ego nunc existo, quod hoc gymnasium est illuminatum &c. quia hæc euidencia fundatur in experientia, qua experior mori, stare, & hoc gymnasium esse illuminatum, similiter est euidens physicè, quod si stupa conijciatur in fornacem ardentem, comburetur, quia hæc euidencia fundatur in naturali connexionem ignis cum combustionem stupæ: conijctæ in ignem, quæ combustio est naturalis effectus ignis.

10. Euidencia moralis est, quæ fundatur in rebus extrinsecis, quæ non habent similitudinem naturalem cum obiecto, quod reddunt euidens, puta in testimonijs, in auctoritatibus sapientum.

11. Euidencia metaphysica solet dari profertim in scientijs metaphysicis, mathematicis, & logicis, ideoque potest subdiuidi in logicam, mathematicam, & metaphysicam specificè sumptam. Sæpè enim vna species generis retinet nomen commune ipsius generis eo pacto, quo Angeli vltimi chori retinent nomen commune Angeli. Euidencia physica solet dari in scientijs physicis, quæ fundantur in experientia, & in connexionem casualium physicarum cum suis effectibus. Euidencia moralis solet dari in scientijs moralibus, politicis, & rhetoricis. Potest autem contingere,

ut non minori, sed maiori certitudine assentiamur quibusdam evidentibus solum moraliter, aut physicè; quam multis evidentibus metaphysicè: ex. gr. non minori certitudine scio me existere, Galliam existere, vel extitisse, quam sciam aliquas propositiones mathematicè evidentes. Proportionaliter certitudo potest dividi in metaphysicam, physicam, & moralem, quibus potest addi certitudo fidei, quæ potest vocari diuina.

12. His suppositis, quæritur, vtrum certitudo, tum formalis, tum obiectiua possit dari sine euidèntia, & vtrum euidèntia possit dari sine certitudine?

13. Dicendum primò: certitudo tum formalis, tum obiectiua supernaturaliter dari potest sine euidèntia. Probatur: nam ex dictis certitudo obiectiua est infallibilitas motui exigentis, vt obiecto assentiamur firmissimè, & sine vlla formidine: euidèntia obiectiua est apparentia convincens intellectum &c. sed diuina veritas sufficienter reuelans nostram religionem, eiusque mysteria, est motiuum infallibile, vt rebus reuelatis assentiamur firmissimè, & sine vlla dubitatione, etiã si non appareant ita, vt apparentia convincat intellectum; ergo potest dari certitudo obiectiua sine euidèntia. Similiter certitudo formalis est firmitas, qua obiecto assentimur sine vlla formidine propter infallibilitatem motui; euidèntia formalis est, qua assentimur obiecto sine vlla dubitatione, & formidine, conuicti ab eius apparentia; sed de facto per fidem rebus reuelatis assentimur firmissimè, & sine formidine, propter infallibilitatem Dei reuelantis, etiã si non conuincamur ab apparentia talis motui; ergo certitudo formalis potest dari sine euidèntia.

14. Dicendum secundò: euidèntia tum formalis, tum obiectiua non potest dari sine certitudine.

Probatur: nam eo ipso, quod obiectum habet apparentiam convincentem, est infallibile, & exigit, vt intellectus illi assentiamur sine vlla dubitatione, atque formidine; sed euidèntia obiectiua consistit in apparentia convincente, certitudo obiectiua consistit in infallibilitate motui exigentis assensum sine formidine; ergo eo ipso, quod datur euidèntia obiectiua, datur etiam certitudo obiectiua, adeoque euidèntia obiectiua dari non potest sine certitudine obiectiua. Rursus eo ipso, quod obiecto assentimur conuicti ab eius apparentia, assentimur certò, & sine formidine propter infallibilitatem motui; sed euidèntia formalis est, qua assentimur obiecto conuicti ab eius apparentia: certitudo formalis est, qua obiecto assentimur sine formidine propter infallibilitatem motui; ergo eo ipso, quod datur euidèntia formalis, datur certitudo formalis, ac proinde euidèntia formalis dari non potest sine certitudine formali.

15. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia nullum

motiuum naturale non convincens intellectum meretur, & exigit, vt obiecto assentiamur certò, & sine formidine; sed euidèntia obiectiua consistit in hoc, vt per suam apparentiam convincat intellectum; certitudo obiectiua consistit in hoc, vt obiectum mereatur, & exigit assensum sine formidine propter infallibilitatem motui; ergo nullum motiuum naturale nõ euidens potest esse certum. E conuerso motiuum supernaturale Dei vt restantis, & docentis, propter suam summam, infallibilitatem, & auctoritatem meretur, & exigit, vt cum proponitur sufficienter, etiã si non convincat intellectum, assentiamur firmissimè, & sine vlla formidine, captiuantes intellectum in obsequium primæ veritatis, vt obscure loquentis; ergo &c.

16. Ad 2. concedo maiorem, & nego minorem, ac dico, quod licet certitudo naturalis necessario pendeat ab euidèntia, tamen certitudo supernaturalis sufficienter potest pendere ab infallibilitate Dei, vt obscure loquentis, & accedente imperio voluntatis captiuantis intellectum in obsequium diuinæ auctoritatis, potest mouere intellectum ad assentiendum firmissimè, & sine vlla formidine rebus reuelatis. Hinc sequitur certitudinem abstrahentem à naturali, & supernaturali non necessario pendere ab euidèntia.

QVÆSTIO CXXVIII.

Vtrum ad certitudinem fidei requiratur, vt euidenter innotescat, Deum reuclasse nostram religionem?

1. Videtur vera sententia Granado Tractatu 2. de Fide, disp. 4. nu. 2. & P. Michælis de Elizalda lib. de forma inueniendæ veræ religionis, quæst. 19. & 21. docentium ad certitudinem fidei requiri, vt saltem sit moraliter euidens, Deum reuclasse nostram religionem, eiusque mysteria; primò, quia credenti debet esse certum, & indubitabile Deum reuclasse nostram religionem; sed quod non est saltem moraliter euidens, eo ipso est dubitabile, incertum, & merè probabile; siquidem sola euidèntia potest reddere obiectum indubitabile; ergo &c.

2. Secundò omni credenti est euidens, quod si error est, quod credimus, à Deo decepti sumus; ideòque communiter admittitur illud Richardi de S. Victore lib. 1. de Trinit. cap. 2. *Domine si error est, quod credimus, à te decepti sumus*; sed si non esset euidens Deum reuclasse nostram religionem, non esset euidens, quod si error est, quod credimus, decepti fuisset à Deo; ergo &c.

3. Tertio omni credenti euidens est solam nostram religionem esse prudenter credibilem, omnes alias sectas esse incredibiles; sed euidens.